



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

III. Hormisda vices suas per Hispaniam concessit Ioanni Episcopo, sive ille
Tarraconensis fuit, sive Illicitanus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

I I. Simplicius Papa vices suas per Hispaniam concessit Zenoni Episcopo Hispanensi, absque ulla jurisdictione, tantum ut canones & decreta apostolica sedis servari procuraret.

I I. Hormisdæ vices suas per Hispaniam concessit Joanni Episcopo, sive ille Tarraconensis fuit, sive Illicitanus.

I V. Verum non e tribuit tantam potestatem quanta tributa fuerat Episcopis Thessalonicensibus & Arelatenensibus. Explicatur istius potestas. Fuit simplex delegatio absque jurisdictione.

V. Dispar ratio est Sallustij Episcopi Hispani, cui idem Hormisdæ vicariatam concessit cum jurisdictione conjunctam. Mandata porro illi data non undequaque conveniebant cum mandatis que data fuerant Episcopis Ecclesiarum Thessalonicensibus & Arelatenensibus.

V I. Idem Hormisdæ vices suas contulisse dicitur in Gallia sancto Remigio Remensi Episcopo. Verum litera Hormisdæ de vicariatu Remigij respuuntur ab eruditiss.

V I I. Sanctus Gregorius vices suas in Sicilia commisit Maximiano Episcopo Syracusano. Sed hoc privilegium fuit personale.

V I I I. Idem Gregorius sollicitus de Angliæ fide Christiana imbuendis, illuc misit Augustinum Abbatem; quem postea Episcopum ordinari iussit, Pallioque decoravit.

I X. Vices apostolica sedis illi data sunt cum Pallio, cum quo ea dignitas conjuncta erat. Porro privilegium illud fuit personale. Posterioribus seculis Archiepiscopus Cantuariensis erat Legatus natus sedis apostolicæ in Anglia.

I. POST explicatum vicariatam Ecclesiæ Arelatenensis, res postulare prima fortassis fronte videretur ut etiam ageremus de dignitate Ecclesiæ Cantuariensis, cujus Archiepiscopus Augustinus apostolicæ sedis Vicarius fuit in Anglia. Verum quoniam privilegium illud personale tantum fuit, non verò perpetuum, ut manifestè colligitur ex epistola Gregorij Magni ad Augustinum, quam Beda recitat, cum præterea constet Cantuarienses Archiepiscopos nonnisi diù post ista tempora factos fuisse Vicarios Romani Pontificis, nos, qui veterum solummodo temporum Vicarios suscepimus examinandos, omittimus hanc materiam, ut quantum fieri poterit paucissimis verbis loquamur de viris illis quorum personis vices suas Romani Pontifices antiquitus commiserunt.

II. Primus hujusce generis Vicarius occurrit Zeno Episcopus Hispanensis, quem Papa Simplicius circa annum **C D L X V I I**, ea dignitate ornans, nulla eum jurisdictione intruxit; tantum eum monuit ut curam canonum & decretorum apostolicæ sedis suscipere in regionibus Hispanicis, ut ea observari procuraret. Talibus idcirco gloriantes indicis, inquit Simplicius, *congruum duximus vicaria sedis nostre te auctoritate fulciri; cujus vigore munitus, apostolica institutionis decreta vel sanctorum serminos patrum nullo modo transgredi permittimus.*

III. Sequenti seculo vixit Hispanus alter Episcopus, nomine Ioannes, quem vulgò putant Tarraconensem Episcopum fuisse; cum tamen admoneat auctor catalogi Archiepiscoporum Tarraconensium præfixus volumini Constitutionum provincialium Tarraconensium, in veteri canonum libro hunc Ioannem Illicitanæ Ecclesiæ Episcopum appellari. Ad hunc ergo literas anno **D X X I**, scripsit Hormisdæ Pontifex Romanus; in quibus post laudes ejus, quòd pro ecclesiasticis disciplinis faciendis apostolicam sedem consulisset, hæc addit: *Et quia per insinuationem dilectionis tue nobis est via patefacta providentia, remuneramus sollicitudinem tuam, & servatis privilegiis Metropolitanorum, vices vobis apostolicæ sedis eatenus delegamus, ut inspectis istis, sive ea que ad canones pertinent, sive ea que à nobis sunt nuper mandata servantur, sive ea que de ecclesiasticis causis tue revelationi contigerint, sub tua nobis insinuatione pandantur. Erit hoc studij ac sollicitudinis tua, ut talem te in his que injunguntur exhibeas, ut fidem integritatemque ejus cujus curam suscipis imiteris.*

IV. His verbis Hormisdæ tantam huic Joanni potestatem non tribuit quantum Thessalonicensibus & Arelatenensibus tribuerant olim Romani Pontifices. Sic enim vices illi suas delegat, ut nihil illi licere velit in provincia; tantum illum admonet relationem ad apostolicam sedem mittere quoties ex causæ intra hanc partem Hispaniæ in qua iste habitabat evenirent de quibus necessariò consulenda esset eadem sedes. Ceterum non tribuit illi judicia causarum, neque potestatem convocandi Concilia, necessitatem demum accipiendarum ab eo formatarum non imponit Episcopis peregrè profecturis. Immo in epistola tum scripta ad universos Episcopos Hispaniæ, tamen etsi scribat se constituta ista edidisse post suggestionem Ioannis, nullam tamen illi prærogativam tribuit, neque ejus mandata aut monita spectare jubentur Episcopi Hispani. Vnde patet vicariatam illum fuisse simplicem delegationem absque jurisdictione, tantum ut esset in Hispania qui de omnibus quæ illic evenirent referret ad apostolicam sedem, ne quid alicujus momenti lateret Episcopum Romanum.

V. Eiusdem Hormisdæ beneficio Hispanus alter Episcopus, nomine Sallustius, Hispanensis, ut vulgò putant, Episcopus, vicariatam cum auctoritate conjunctam accepit per Bæticam Lusitaniamque provincias. Nam præter cetera, hanc ei potestatem tribuit ut Concilia congregare possit, ad quæ convenire teneantur Episcopi. Tum